

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6319

Auteur(s) : Robert, Rouen, Saint-Lô (prieur)

Bénéficiaire(s) : Beaulieu, Notre-Dame (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1200, 13 avril

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Convention entre le prieur de Saint-Lô et les religieux de Beaulieu pour l'élection du prieur de Beaulieu.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. De Glanville Léonce, *Histoire du Prieuré de Saint-Lô de Rouen*, ses prieurs, ses priviléges, ses revenus d'après les documents authentiques tirés des archives de la Seine-Inférieure et mis en ordre, Rouen, E. Cagniard, 1890-1891, 2 vol., t. 2, pièces justificatives, n° X, p. 297-298.

Texte établi d'après a

Omnibus sancte matris ecclesie filii ad quos presens scriptum pervenerit, Gaufridus (sic, il s'agit de Robert. Voir l'acte suivant, GLANVILLE, n° X, t. 2, p. 298 ; SCRIPTA 6320) prior et conventus S. Laudi Rothomagensis salutem. Noverit universitas vestra, quod anno incarnationis dominice M°. CC°. idibus aprilis, coram venerabili patre nostro rothomagensi Waltero, archiepiscopo, compositio facta fuit inter nos ex una parte, et Robertum (sic, il s'agit de Geoffroy. Voir l'acte suivant, GLANVILLE, n° X, t. 2, p. 298 ; SCRIPTA 6320) priorem et conventum Belli loci ex altera, assensu et voluntate Ioannis de Pratellis fundatoris predicti Belli loci in hac forma videlicet: quod canonici Belli loci, mortuo priore suo, vel ad altiorem gradum promoto, vel quocumque alio modo cedente, de conuentu S. Laudi Rothomagensis, in priorem quem voluerint tenentur eligere excepto priore. Et si prior et conventus S. Laudi infra quindecim dies postquam requisiti fuerint conuentui Belli loci, quem sibi in priorem eligerint, non concesserint, licebit canonicos Belli loci de proprio conuentu vel aliundè quem voluerint sibi in priorem, ea vice, eligere. Prior autem electus et apud Bellum locum receptus sacramentum prestabit super altare de bonis ecclesie illius intrinsecus et extrinsecus fideliter observandis. Si autem aliquo tempore contigerit quod discordia orta fuerit inter priorem et canonicos Belli loci, que per priorem et canonicos eiusdem loci terminari non poterit, prior S. Laudi quando vocatus fuerit communi assensu prioris et capituli Belli loci, vel ab altera partium ad illum locum accedere debet auxiliaturus emendare illam discordiam pro qua vocatus fuerit cum aliis viris religiosis. Sciendum est autem quod episcopus Constantiensis nihil iuris sibi in ecclesia Belli loci poterit unquam vendicare, vel canonicos ipsos, vel ecclesiam suam sub interdicto concludere vel excommunicare. Similiter nec prior S. Laudi poterit aliqua ratione ecclesiam Belli loci sub interdicto ponere vel excommunicare priorem. Preterea sciendum est quod prior Belli loci et conventus tenentur, singulis annis, solvere priori et conuentui S. Laudi sexaginta solidos usualis monete ad duas pitantias, medietatem ad festum S. Michaelis et aliam medietatem ad pascha. Vt autem hoc in perpetuum firmum sit stabile, compositionem factam, presenti scripto et sigilli nostri capituli munimine dignum duximus roborandam. Testibus Willelmo Constantiensi, Waltero de S. Walerico, Roberto de S. Paterno, Garino archidiacono Rothomagensi, magistro Symone, magistro Ioanne de Vilars, Willelmo de Brueria, canonicis

Rothomagens. Magistro Willelmo de Ansnevilla, Richardo Heron, Radulfo de S. Amando Gaufredo de Mesnillo,
militibus, Matheo Grosso, tunc maiore Rothomagensi, Roberto de Mesnilclac et multis aliis.